ORATIO AD SE-renifs. Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Reginam Elisabetham, in Aula Woodstochiensi habita à Laurentio Humfredo, Academiæ Oxoniensis Procancellario, anno 1575. Septemb. 11.



LONDINI,
Typis Henrici Binnemani,
impensis Georgij Bishop.
1575.


HONI·SOIT·QVI·MAL·Y·PENCE·
E. R

¶ Cœlum & terra præteribunt, verbum autem Domini manet in æternum.

Dictum Christi Mar. 13. Symbolum Ducum Saxoniæ & GEORGII Marchionis Brandeburgensis, paraphrasticè & metricè explicatum.



Omnia transibunt, tellusq́ polusq́ liquescent,
Mundi pompa, decor, gloria, πάντα σκιαί.
Omnia transibunt, reges & regna peribunt,
Vires, castra, viri, fœmina, πάντα ϖοδός.
Omnia transibunt, hominum sapientia, lingua,
Scripta patrum, canones, iuraq́ πάντα λογόι.
Omnia transibunt, vt fabula, puluis, & vmbra,
Nil fidum aut fixum est, denique πάντα κόνις.
Sermo DEI *viuax, omni florescit ab æuo,*
Hic erat, est, & erit, cætera ϖάντα ϖόνος.
Sermo DEI *viuax, flammas furiasq́ retundit,*
Infringit Stygij tela cruenta Dei.
Dux patriæ, comes est vitæ, post sæcula iudex,
Lex morum, fidei lux, via, norma, salus.
Hoc cape, semper ama, sic te redamabit IESVS,
Fulciet imperij regia sceptra tui.
Hoc cape, dat CHRISTVS, *nam Christi ferrea virga est,*
Qua mundum frænat comminuetq́ DEVS.
Hoc cape, sit cordi, sit curæ, sitq́ voluptas,
Hoc cape, crede, time, perlege, viue, VALE.

Maiest. tuæ subditiss.
Laur. Humfredus.

Carmen eiusdem *L. H.* eucharisticũ & paraeneticum de initio regni R. Elisabethae, & de auspicatiss. anno decimo octauo Nouemb. die. 17. &c.



Nostra parens quondam varijs iactata procellis
Insula, turbinibus saeuis ac fluctibus acta,
Anglia, post aestus rerum motusq; suarum
In portu, Christo ventos sedante, quiescit.
Ille regit terras, & rerum flectit habenas:
Ille pias lachrymas pacata exaudijt aure,
Luctificos gemitus, maesti & suspiria cordis.
Ille tulit Mariam (nunc parcam mortuae) amaram,
Diuinis donis saturam dedit ELISABETHAM:
Post tenebras lucem dedit, & post nubila solem.
Illi omnis sit honos, laus & benedictio soli.
O metamorphôsis grata, ô mutatio foelix:
Te Deus elegit solus, REGINA, *ministram:*
Hic te sublimem prouexit honoris ad arcem,
Vnxit, constituit, Caput & Diademate cinxit.
Ille tuum solium fulcit, firmatq; Coronam,
Ille tuae solus produxit stamina vitae,
Bisq; Nouem tibi iam Regnum stabiliuit in annos,
Iamq; nouus redijt (Domino volente) NOVEMBER.
Non opus hoc hominis, non Papae chrisma manúsue:
At manus, at digitus Domini, cui gloria detur:
Illi omnis sit honos, laus & benedictio soli.
Perge age, Virginei Lumen Splendorq; decoris,
Cur sceptrum teneas, quis te praefecerit Anglis,
Cur sic Imperij cursum tot proroget annos,
Specta, quôq; vocat, generosa mente sequaris.
Vt te glorificat, sic glorificabis & illum,
Quò magis ille tuum Nomenq; diésq; peremet.
Per te lustrari templum vult, puraq; sacra

Resti-

Restitui, castámq; fidem, cultusq; probatos.
Italici Augiæ stabulum fœdamq; cloacam
Per te purgari, Romanaq; σκύβαλα tolli.
Non plures diuos, sed Numen præcipit vnum,
Vno more suo, sanctéq; piéq; colendum.
Omne ferat punctum pietas, ac Christus Iesus:
Ille ferat primas partes, ferat ille secundas.
Pulpita, templa, domus crucifixi nomen adorent.
Non docet hunc Latiæ cornutus Iuppiter Aulæ,
Qui Missas, Bullas, qui Purgatoria vendit,
Nimirum fumas, gerras, mera stercora, nugas:
Hunc cum relliquijs ac tota fæce repelle.
Christo omnis sit honos, laus & benedictio soli.
Suspectus tibi sit cacodoxus vertice rasus,
Purpurea volitans palla, Romanus alumnus,
Carniuora miserum deglubens fauce popellum.
Occultos depelle lupos, has comprime pestes.
Quisquis pascit oues, ouibus præpone magistrum,
Pastorum fucos sacris ab ouilibus arce.
Iustitia fulcito thronum, fratresq; tuêre,
Ac defende bonos, misero succurre roganti.
Supplicis ipsa preces audi, nec despice causas.
Si tu conniues, dormit sæpissimè Iudex.
Oppressos recrees, inflictaq; vulnera sanes.
Proderit hîc multùm sanctus fidusq; Senatus,
Qui Christum spectet, qui Regnum, qui tua curet,
Vt Christo sit honos, laus & benedictio soli.
Leges ferre bonas, latas vrgere memento:
Plurima nam condi, seruari pauca videmus.
Lapsis indulgere pium: calcare iacentes
Durum: præfractos non vi, sed vincito verbo.
Vis mitratorum est: verbi victoria pulchra.
Non vult Relligio cogi, ratione doceri
Vult: flecti possunt homines frænoq; teneri.
In Capitolino scriptum memorabile fertur,
Victis parce: tamen subiungit, Frange superbos.

Vt

Vt sit iuncta comes iusta clementia pœna.
Præfice muneribus doctos rerumq; scientes,
Quos diuus viua descripsit imagine Moses,
Ne rudis vndosam peruertat nauita puppim.
Sint stipatores, quos Psaltes regius edit:
Ille tuam proprijs depingit moribus Aulam.
Vafer, detractor, mendax, elatus, iniquus,
A sacrosancta Dauidis truditur Aula.
Ne tua Gnathonum colluuio tecta subintret.
Ambitione furens reprimatur cœca cupido.
Virtus non vitium commendat Principis Aulam.
Exornare Scholas sit cura potissima Regum:
Fontibus his liquidis Respub. tota rigatur.
Artes nutrit honor, doctos mercede fouebis,
Tuq; tuo exemplo discens & docta, mouebis.
Sed quid ego doctam doceo? Te consule solum,
Quodq; domi tua mens sapiens tibi suggerit, audi.
A te non hominum reuocent te lubrica mulsa:
Absit vt humanæ sternant te brachia carnis.
Ne metuas hominem: Deus est, solúmq; timendus:
Christo omnis sit honos, laus & benedictio soli.
O Pater arcitenens, rerum tu suscipe curam,
Consilioq; tuo muliebrem dirige mentem.
Da plenus Christi ferri sacra nuntia riuis:
Da tua fundantur pastis oracula velis.
Sicq; renascentis solides fundamina Regni,
Vt stent ac maneant nullis quassata periclis.
Serua REGINAM plures vt floreat annos:
Aurea longa piè nobiscum sæcula viuat.
Sic nos ex animo laudes ac voce canemus,
Iustitiasq; tuas omni celebrabimus æuo,
Summe Deus, quem terra colit, quem sydera cantant,
Cui debetur honos, laus & benedictio soli.

¶ Pro Regno Angliæ, R. Maiestate, Consiliarijs, Ministerio, Laurentij Humfredi Precatio.

O Deus *altitonans Mundi Cœliq; Monarcha,*
Qui mare, qui terras, infera quiq; regis:
Prospice de cælo, Regnum spectato Brytannum,
En nunc confligunt spesq; metusq; simul.
Quid non speremus, quid non timeamus amantes?
Spes, metus, huc illuc, hæc vocat, ille trahit.
Anglia cincta mari est, circumfluit vndiq; pontus,
Est spes nonnullo concomitata metu.
Hactenus afflauit Zephyrus, fuit aura secunda,
Spes est: mox portum, qui bene soluit, habet.
At mare fluctisonum est, Syrtes, Pirata, Charybdis,
Saxa latent, scopulos nolle timere, furor.
Hæc, hæc vita mare est peramarum, nauigat omnis,
Qui viuit, sperat plurima, multa timet.
Nunc mare sulcamus, mare nunc ingressa Carina est,
Flatibus aspires, ô bone Ioua, bonis.
Sis prora & puppis, nostræ sis ancora nauis,
Et peregrinantis dirige vela ratis.
Suffice nunc doctos qui clauum rite gubernent,
Ne ruat in tumidas naufraga puppis aquas.
Præfice ductores populo, verbiq; ministros,
Ne desint ouibus pabula sana tuis.
Tales falce secas: tamen vt noua plantula surgat,
Annue, succrescant germina sancta precor.
Ampla tua est bonitas, grauis at maledictio nostra,
Culpæ pœna comes, sic meruêre mala.
Consilium *Regale foue, sacrumq; Senatum,*
Qui semper Christi *flagret amore tui.*
Quòd clemens pater es, speramus: deindè timemus,
Quòd iustus iudex atque seuerus eris.

Serua

Serua Reginam *Pater, ô mitißime serua,*
Vt tua sit semper, sit quoq; nostra diu.
Fœmineamq; manum dextra fulcito potente,
Ne quasset teneram Scylla maligna ratem.
Auspice Reginâ diuinum Manna dedisti,
Spes est, at causa est nausea nostra metus.
Floret Relligio, spes est: sed marcet in horas,
Est metus: hanc solùm labra libriq; sonant.
Spes est, quandoquidem regnat lectißima princeps,
At quia mortalis, iam subit ecce metus.
Regnat iam prudens Princeps, sed fœmina regnat:
Viribus haud orba est, spes: metus, orba viro est.
O virgo ELISABETH, *Phœnix et gemma regentum*
O flos, ô patrij stella decusq; soli,
Heu cur non liceat semper producere filum?
Heu cur non semper viuere fata sinunt?
Heu fera Parca rapit proceres, non parcere cuiquam,
Nouit, præda huius Crassus & Irus erunt.
En fuit, en non est Babylon, nec Persica pompa,
Nec Græcum imperium, nec Latialis honos.
Spes est quod fuerint, sed nunc non esse, timendum:
Spes est, esse quidem, porrò fuisse malum.
Quòd valet & viuit, tua magna potentia sola est:
Si moritur, nostrum est promeritum atque scelus.
Quòd populo præsit, quod sit, iam spero, sed oro
Vt semper iubeas esse, vel esse diu.
O vtinam viuat, viuat, serò vt moriatur,
Mortua pòst viuat, ne moriatur, Amen.



Errata quæ hic occurrunt, partim præcedentia partim sequentia, sic corrige.

Folio. 1. Pagina. 2. linea penultima, pro peremet, lege perennet. Pagina sequenti, linea. 11. pro fumas, lege fumos. Fol. 7. Pag. 2. linea. 13. pro exorcysmo, lege exorcismo. Fol. 9. pagina. 2. linea 10. pro (prôh dolor) lege (prò dolor). Ibidē, pro inodoctiorē, lege indoctiorem. fol. 12. pag. 1. lin. 7. pro Camerinas, lege Camarinas. Pag. sequenti, linea. 17. pro Nôrunt, lege Norûnt. Fol. 16. pag. 1. linea. 8. pro quisq̃, lege quisq;. pag. sequenti, linea. 1. pro Constantius, lege Constantinus. Fol. 17. pag. 2. linea. 8. pro ergà, lege erga. linea sequenti, pro qualemcunq̃, lege qualemcunq;.

Excusum & finitum Londini, anno regni Elisabethæ. 18. Nouemb. 17. die Coronationis.

Ad serenissimam Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Reginam Elizabetham, &c.



LOQVAR *an sileam* (Princeps serenissima) *plures & graues causæ faciunt, vt nonnihil addubitem. Silere monent & etiam mouent cogitatio imbecillitatis meæ, splendor Maiestatis tuæ, aurium nostrorum hominum deliciæ. Neq; enim ego sum ita à naturæ aut literaturæ præsidijs instructus, vt cogitationes meas quales quales sunt satis digna orationis gratia & venere exprimere valeam: maximè verò quia triennium abhinc politissimis auribus tuis obstrepentem me sermone nimis prolixo non molestè audiuisti, eundem actorem, eodem loco, eodem*

Causa cur tacendum.

ferè anni tempore, eandem personam induere, eandem fabulam tractare, videbitur fortaßis absonum. Crambem qui bis coctam apponit minister, mortem apponit, & qui eâdem oberrat chorda citharœdus, ridetur, & qui sæpe prodit in scenam histrio, tandem exploditur, & qui eandem semper incudem tundit faber, odiosus est, & coccysmus seu cuculi cantilena audienti insuauis est, & mel ipsum, vt est in Epigrammate, si nimium est, ingratum est: quippe grata nouitas, iucũda & rerum & personarum varietas, molesta satietas. Itaq; verendum mihi est, ne secunda hæc non meliora, vt est in prouerbio, sed ne posteriora deteriora iudicentur. Terret quoq; Maiestatis tuæ etsi serenus, attamen regius aspectus: nõ est tutũ leonẽ radere vigilãtẽ, aut excitare dormientẽ: periculosum dicere aut scribere in eũ, qui poterit

proscri-

proscribere: loquendũ cum Alexandro, ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα aut minimè aut mollissimè, vt admonuit Calisthenem ad Aulã proficiscentem Aristoteles. Procul (inquiunt) fuge à Maiore, procul à Ioue, procul à fulmine. Postremò aures aulicæ his temporibus nõnnunquam Atticæ sunt, quas (antequam iuuare poßis) purgandas esse & sanandas dixit Orator Atticus Demosthenes. Nam hodiè quisquis dicit, quot auditores, tot ferè Censores habet, quorum alijs in materia alijs in forma, alijs in verbis alijs in rebus peccare, alijs in sensu alijs in gestu offendere, alijs timidior alijs audacior, alijs longiör alijs breuior, alijs frigidior alijs ardentior, alijs blandior si laudat, alijs aßperior videbitur si monitor esse cœperit. Equidem his de causis nunquã huc ad dicendũ perpelli facilè potuissem, nisi ex altera parte aliæ rationes præpõ-

Causa cur dicendum.

 deraßent,

derassent, & quodammodo refugientem pertraxissent: nisi inquam summæ humilitati meæ amplissimi Cancellarij nostri singularem gratiam (cuius voluntati parere æquum est, autoritati cedere necessum est) nisi Maiestati tuæ magnæ placabilitatem tuam maximam, nisi tacitis hisce obiectionibus auditorum meæ conscientiæ testimonium quasi murum aheneum opposuissem. Quid? an gratulari est semper adulari? Nunquã profectò mihi placuit Gnatonismus, nec è diuerso Momismus, vt vel Principum auribus dandũ, vel vt eas sine causa sine crimine offendendas temerè censeam. Gnatonis oratio gladius est, sed melle perlitus: Momi oratio gladius est, sed furiosi hominis manibus commissus, vt præclarè aliquando respondit in Monachum pro concione petulanter debacchantem Auus tuus honorandæ memo-

Erasm. in Chil.

riæ Henricus *septimus. Quid? an alij omnes subditi tui, nobiles ignobiles, magistratus priuati, ciues cathedrales, aut Poesi, aut plausu, aut precibus, aut epulis, alijsuè honorarijs aduentum tuum excipient? an iaculãdo, hastas vibrando, equos insiliendo, concursando, alijsq; significationibus eximiæ cuiusdam voluptatis suam in te obseruantiam declarabunt? an Syluanus aues, Neptunus pisces, Pomona fructus, Ceres fruges, Bacchus vinum, Syren iocos, Mars certamina, Apollo musicam, Diana feras, Gandina spectacula, omnes dij deæq; omnia ludicra dabunt, (liceat enim quæso fictis Deorum poeticorum nominibus rem in hoc progressu tuo verè gestam repræsentare) & Minerua nostra nihil exhibebit? & musæ nostræ Oxonienses in his faustis omnium acclamationibus, ouationibus, triumphis, in hoc*

Spectacula Kenelwortha siue Killingwortha, & VVoodstokia exhibita

 communi

communi Anglorum gaudio tanquam ranæ Seriphiæ solæ obmutescent, & vocem nullam edent? Imò verò adsumus primùm oraturi, vt Christus Sator & Seruator noster vitam tibi prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum largiatur: Constantinæ nostræ, Augustæ nostræ REGINÆ, *Consiliarijs multi anni, Orthodoxos custodes fidei, propugnatores Ecclesiæ protege Domine,* ELIZABETHÆ *regnum in sæculum permaneat. Hanc enim antiquam precationem Tertulliani ætate vsitatam, & istam alteram in generalibus Concilijs pro Regibus & Reginis receptam libenter vsurpo. Adsumus deindè gratulaturi, quòd Deus Opt. Max. te nobis restituerit, & in hoc Woodstochiensi palatio saluam & incolumem iterum*

rum collocârit. Hanc fœlicitatem Reipub. nostræ gratulamur, hinc præpotenti Deo immortales gratias, vt par est, agimus. Cur enim non gratulemur? Arcanũ Regis celare pulchrum est, at Dei opera prædicare gloriosũ, inquit Solomon Parœmiastes. Solomonem hoc loco non sine causa nomino, quòd Solomonicum regnũ diuini numinis beneficentia instaurari & reuocari video. Solomonem præcelluisse omnes sapientia, Solomonẽ domũ Dei ædificasse, Solomonis vt nomen sic regnũ pacatũ extitisse, & propterea ad eum visendũ omnes vndiq; confluxisse Sacra Scriptura cõmemorat. Nos verò huius tanti concursus, & gratulationis omniũ tuorũ, si nõ has easdẽ causas subesse intelligimus, stupidi, si non animaduertimus, dissoluti, si non agnoscimus, in te, in patriã, in Deũ ingrati meritò sanè habeamur. Etenim nisi causas scimus,

nihil

nihil ſcimus , & tum demùm officium facimus, quando cur fiat, rationem probabilem reddimus, & tũ ſapimus, cùm cauſas cognoſcimus, &

Fœlix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Itaq; cum noſtro omnium bono pectus tuum prudentiæ, pacis, pietatis amore ſupra quam dici poteſt diuinitùs inflammatum noſtrûm nemo non experiatur: hæc tria beneficia, & diuinæ benignitatis erga nos luculenta documenta, & Solomonicæ & tuæ gubernationis ſempiterna monumenta patere me, ELIZABETHA *Principum decus, breuiter attingere, quò nos omnes ad prædicationem gratiæ, quam referre nunquam poſſumus, magis ac magis excitemur, & poſteritas habeat quod intueatur & admiretur, vtinam etiam æmuletur & aſſequatur.*

1 *ERGO prima illa noſtræ gratulationis*

lationis causa, & primum Dei præpotentis beneficium est omni prædicatione celebrandum, quòd Reginam literatam, & multiplici cognitione artium, linguarum, rerum humanarum ac diuinarum egregiè dotatam præfecerit, quæ sciat, ignorantiæ maculam in omnibus fœdam esse, in Principibus fœdißimam: de harmonia nullum surdum, de coloribus nullum cæcum, de quæstionibus fidei nullum imperitum posse incorruptè iudicare: quæ intelligat, hac literarum tinctura & cultura ipsam nobilitatem magis nobilitari: quæ animaduertat, ciuitatem (vt acutè etiam Aristoteles) non ex medico & medico, sed ex agricola & medico constare, id est, non omnes res manu, sed multò plures mente geri, mentem autem à liberalibus disciplinis, sicut aspectum nostrum à continente aëre, lumen accipere: quæ consideret, homines Prudentia literata.

C. complu-

Iesuitarũ & pontifi-ciorũ pro-selyti.

complures hoc lumine orbatos in tenebras, in superstitiones, in infinitam errorum colluuionem irruisse: quomodo hodie Indi & alij Iesuitarum & Papistarũ lenocinio & veneficio infascinati ab Idololatria inueterata ad Idololatriam nouam, scilicet Papismũ cõuersi, quemadmodum in Repub. ac mutuis cõmercijs specula fallacia, armillas æneas, tintinnabula, crepitacula, aliasq́ nugas leuiculas mercatorum nostrorum magno coëmunt & in admiratione habẽt: sic in Ecclesia cruces, calices, vestes missales, ramos palmarum, salis & aquæ creaturas exorcysmo Romanistarum incantatas, cæremonias frigidissimas & inanissimas opiniones spirituali & syncero Dei cultui, videlicet carbones thesauro, granum hordei gemmæ cum Æsopico gallo, ærea aureis cum Homerico Glauco, porcos & suillã superstitionem

Christo

Christo eiusq́ castæ religioni cũ Gergesitis, alliũ Ægyptiacũ & vitulinos deos, Mannæ cœlesti cum Israëlitis, imprudẽter & impiè præferunt. Vera certè est sapientis vox Sapientiæ sexto, Rex sapiens populi stabilimentũ est: *& illa contra non est falsa Ecclesiastici decimo,* Rex insipiens populũ perdet. *Quamobrẽ Augustissima Princeps, quòd tã cupidè in Mineruæ cultu cõquiescis, quòd Musas nostras amore cõplecteris, præsidio tueris, præsentia sæpe ornas, quòd ex his fontibus sapientiam ipsamet hausisti, & quotidie tuis propinas, quòd Aula tua iam facta est NOVA & TERTIA Academia, quòd ex his Academiarũ spatijs populi duces nõ paucos, malos, nouos, indoctos, vt nouus quidã Cẽsor Angloduacensis in sua Censura nuper finxit, sed multos, bonos, graues, eruditos ad Ecclesiam administrandam euocas,*

quòd Oxoniam aut inuiſis, aut propè accedis, quòd nuperrimè priuilegia & immunitates noſtras à Maioribus tuis olim cõceſſas, & iamdiu noſtro malo penè ſepultas ab obliuione & interitu vindicaſti, & Iudicibus quibuſdam ſcientiſsimis legum cauſam vtrinq; examinãtibus, honoratiſsimis Conſiliarijs aſtipulantibus, ornatiſsimo Cancellario procurante & intercedente, Regio diplomate tuo, ſempiterno & immortali commodo noſtro, obſignaſti, vnde firmior pax cum oppidanis coaleſcit, & intermortua penè ſtudia Academicorum reuiuiſcũt, & artes alioqui ſucco hoc deſtitutæ quaſi nouo vere effloreſcunt, profectò ſatis teſtatum facis & manifeſtum omnibus, quàm magnificè de literis, de literatis, & de noſtra Academia ſentias. Satis enim nouerat prudentia tua, niſi Athletæ ſuũ ἆθλον, curſores ſuum brabæum, nuncij

ſuum

ſuum μήνυστρον, vectores ſua naula, medici ſuas aureas pilulas & ſoteria, Iuriſperiti ſuum honorem & manus inunctas donarijs, milites ſua ſtipendia, pugiles ſuas coronas, altores ſua Threpteria, docti & doctores ſuum Mineruał reportent, horum omnium ſtudia, induſtriam, contentionem remitti & langueſcere.

Perge ILLVSTRISSIMA REGINA *in hanc curam & cogitationem acri & attento animo incumbere, perge omnem autoritatem tuam ad conſeruationem Scholarū conferre: nec audiendos putes illos Iulianos, qui literas extingui, qui doctorum hominum cœtus diſsipari, & Academiarum ſtatum conuelli, & amœniſsimas literarum ſedes rapaciſsimorum accipitrum prædam & aucupium fieri cupiunt. Sed hi pauci ſunt, & ignari ſunt, & planè neſciunt in Academia virtutes conſeri, barba-* *Scholarum cura Regibus digna.*

 riem

riem & immanitatem morum extirpari: hanc fuiſſe, eſſe, fore ſacrarium religionis, ſeminarium Ethicæ & Politicæ diſciplinæ, Scholam militiæ, alumnam pacis, magiſtram Aularum, arcem doctrinarum, ex qua deliguntur præfecti Eccleſiarum, qui religiones interpretentur, qui rudem plebeculam quauis Aſpide ſurdiorem, quouis equo & mulo (prôh dolor) inodoctiorem erudiant, in qua flos nobilitatis ſuccreſcit, & generoſæ ſpei iuuentus conformatur, vt ſicut agricolæ terram, ſic omnes iſti ingenia ſua meliùs excolant, & diſcant ſua & publica adminiſtrare prudentiùs.

2 ALTERVM regni tui ornamentum & diuinæ benedictionis certiſſimũ veſtigium eſt Pax, quouis balſamo fragrantior, quouis rore dulcior, vt canit Pſalmographus, Pax quam Chriſtus naſciturus per Prophetas prædixit, na-

Pax pia.

ſcens

ſcens per Angelos prædicauit, natus per Apoſtolos domui ſanctorum annunciauit, moriens ſuis reliquit & commendauit: Non enim laudo pacem vel ſecuram, vel inſidioſam, vel ſimulatam, vel ſuperſtitioſam. Nouimus ſuperſtitionem rem eſſe vt peſtilentem & pernicioſam, ſic perfidioſam, & pacta nonnullorum, cùm libet & licet, non eſſe pacta, vt Plautus loquitur, & hodie fidem Romanam eſſe fidem Græcã, Punicam, Parthicam. De Papiſticis fœderibus & rythmicè & rectè dici poteſt,

Multis annis iam tranſactis,
Nulla fides eſt in pactis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

Cum iſtiuſmodi hominibus fœdus facere ac ferire, perindè eſt ac ſi inter lupos & agnos ſocietas coëat. Romanus Orator homo togæ quàm ſagi amantior dixit nõ peſſimè, Iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo

bello

bello antefero: sed multò fortiùs Orator Græcus, Bellum honestum turpi paci anteponendum est, & diuinitus ille noster cognominatus Theologus, Præstat laudabile bellum, quàm pax à Deo separans. Atenim longè alia pax est de qua loquor, diuina, non humana, Euangelica, non Pseudochristiana, qua nos Deus per te beauit, vt sub ditione tua tanquā in vmbra placidè & piè conquiescamus, & in communi hoc omnium propè vicinorum & Christianorum incendio summa tranquillitate perfruamur. Non enim in hac tota profectione tua Aquilas infestas, non signa militaria, non castra, non hostes vidisti: sed pacificas velitationes, gratulationes, comprecationes amicorum & ciuium tuorum audiuisti. Non lanceas sed ligones, non milites sed messores, non faces sed falces, non arma bellica sed rustica instrumenta,

pacis

pacis nimirum insignia, & fœlicitatis nostræ auguria aspexisti: vt euidentissimum signum esse videatur, & te clemẽter regere, & ciues libenter parere, & te amare tuos, & tuos honorare te, & te & tuos à Deo diligi. O infinitã Christi misericordiam, qua sola in pace terræ bona comedimus, qua sola sine merito nostro vllo, sine sudore & sanguine nostro in pace & viuimus & vincimus. O aureum non tantum Martiani imperatoris, de quo Nicephorus scripsit, sed etiam ELIZABETHÆ *nostræ sæculum. O beatam Rempub. quãdo expulsa furiosa Ate, & gratiarum ac beneuolentiæ conciliatricibus Litis regnantibus, Principes iustè imperant, subditi officiose obtemperant, vtriq; Euangelium pacificè possidet. Nam hoc demùm Regium esse, & domi & foris paci studere, & moderatè agere, & a-*

Ate discordia, Lita concordia Dea apud Homer.

Regũ moderatio Magnes amoris.

 more

more ſuos cõprehẽdere, etiã ipſi Reges et nobiliſsimi viri docebũt. Cæſar rex generosè, Parce ciuibus. Tiberius rex honorificè, Aurum ex lachrymis proueniẽs adulterinũ eſt. Solomõ rex ſapiẽter, Qui nares emũgit acriùs, ſãguinẽ elicit. Theodoſius rex piè, Vtinã et mortuos reuocare poſſem. Martianus rex chriſtianiſsimè, Quãdiu liceret in pace viuere, nõ deceret Principem arma ſumere. Leo rex Martiani ſucceſſor optimè, Vtinã is eſſet ſtatus meorũ tẽporũ, vt poſſẽ ſtipẽdia militũ in literarũ magiſtros cõferre. Scipio egregiè, Malo vnũ ciuẽ ſeruare, quã mille hoſtes perdere. Catulus Syllæ in omnes ſæuienti prudẽter, Ergo quibuſcũ viuemus, ſi & armatos in bello, & inermes in pace iugulemus? Pericles moriturus grauiter, Neminẽ ciuẽ ſua cauſa nigrã veſtem induiſſe. Vtinã omnes alij Chriſtiani magiſtratus vel autoritate tot

Principum

Principiũ, vel exemplo vel suasu tuo, vel naturæ suæ instinctu, vel afflictæ patriæ intuitu, vel humanitatis causa, vel religionis ergò, gladios iam diu viscera suorũ cruentãtes, in vomeres aut in alienos potiùs cõuerteret, pacẽ Christianã cõstituerẽt, Camerinas nõ necessarias nõ mouerent, non ampliùs tanquã Gygãtes cœlo bellũ indicerẽt, & tandẽ aliquãdo Christianis imò Christo, suis imò sibi parcerẽt.

Gratulamur autem tibi (ILLVSTRISSIMA REGINA) *moderatũ & pacificũ imperiũ tuũ, nobis tranquillitatẽ nostrã, quos Deus nũc & ab externis hostibus, & ab intestinis cõiurationibus tutos præstitit. Gratulamur etiã ciuibus tuis flagrãtissimũ suum pacis & concordiæ & obedientiæ studium. Quos enim olim Heptarchia disiunxit, nunc Monarchia coniunxit, quos antè Rosa alba & rubra distraxit, nunc vna Rosa consociat, quos dudũ dispar religio* *Subditorũ obedientia inimica rebellioni & Motinis.*

 diuisit,

diuisit, nunc vna fides conglutinat, & quos nuper Romana Bulla et transmarini libelli ad arma facilè concitarunt, nunc, spero, nulla Motiua à constantia, à pietate in Deum, in patriam, in Principem dimouebunt. Sic enim nouo, barbaro & inepto nomine nouus quidam Licentiatus Angloduacensis scriptor libellum de Motiuis ad nos transmisit, quem potiùs flabellũ & Classicũ seditionis debuerat inscribere. Quibus Motiuis huc solum promouit, vt dum vanissimis argumentis suum Pseudocatholicismum stabilire, & immotam nostræ Catholicæ Ecclesiæ fidem concutere studet, non Anglis fidem faciat, sed multis risum moueat. Nôrunt iam Angli sapere, & de re ipsa, & de huiusmodi scriptoribus iudicare. Dum enim nobis futilia & triuialia Motiua narrat de nomine hæreticorum, Protestantium,

Catho-

Catholicorũ, à nomine ad rem craſsè argumentans, dum fabulatur de ipſorum miraculis dogmaticis & perſonalibus, putà Thomæ Aquinatis, Thomæ Catuarienſis, Bonauenturæ, Bernardi, Franciſci & Dominici, de ipſorum Eccleſiæ iudicio & praxi, de ipſorũ doctrina, traditionibus, viſionibus, de antiquitate, vniuerſalitate, vnitate, ſucceſsione, de ſedis Apoſtolicæ autoritate, de ipſorum cõcilijs, patribus, Martyribus, de ipſorũ ritibus & ritualibus, quæ nos in liturgia noſtra ceu ipſorum Simios imitari iactat, dum noſtras leges, inſtituta Eccleſiarum, & noſtram Academiam Oxonienſem matrem ſuam, & Cantabrigienſem ſororem, vtramq; antiquiſsimam, optimis ingenijs & eruditiſsimis Theologis & Doctoribus, & omni Cyclopædiæ laude florentiſsimam inſectatur, Duacenſem ſcholam nouam, ſuos ſcholarchas, ſuos

 ſcilicet

scilicet Catholicos professores, suas Quodlibeticas & Scoticas disputationes ineptè praeferens, an non statim sentiunt Angli istum Motorem magnas nugas magno hiatu promittere? An non statim illis venit in mentem illud Poëtae,

Laudat venales, qui vult extrudere merces?

Et tamen norûnt Angli nauem, quae has merces per transennam quasi ostentat, nō verè ostendere & easdem exhibere. Norûnt olim nauem fuisse, magnifico titulo εὔπλοιαν, πρόνοιαν σώζουσαν, καὶ θεραπείαν, *secundam nauigationem, prouidentiam salutarem, & sanitatem praeseferentē, quae tamen proculdubiò fluctibus iactata fuit, & in syrtes ac scopulos impegit: & nauem Tharsis non semper aurū & argentum in Iudaeam, sed interdum pauones & simias aduexisse. Norûnt non omnes istiusmodi negotiatores Ecclesiasticos, qui coelum mutant & trans mare*

currunt

currunt ad exteras Academias, ſemper
redire meliores, ſed quomodo Mene-
demus dicebat, quoſdam Athenas naui-
gaſſe primò ſapientes, tũ ſapientiæ ſtu-
dioſos, dein Rhetores, poſt idiotas eua-
ſiſſe. Norûnt quoſdã Phariſaiſmi ze-
lo infectos terra mariq́; circũire quo fiant
proſelyti & gehennæ filij. Norûnt eos
qui videntur aliquid, nihil eſſe, Taurũ
vocẽ bouis imitari, & tamen nihil aliud
eſſe quàm Taurũ, id eſt, auiculã. De his
Motiuis & motoribus pronũciabunt
ex Iobo: Vidi arantes vanitatẽ, & ſemi-
nantes laborẽ, & idipſũ ſolũ meſſuerũt.
Norûnt iam Angli vel ſuo vel aliorum
malo edocti, nec Motiuis credẽdũ, nec
prece, nec pretio ab officio in Principem
diſcedẽdũ. Norũt Regnũ diſsidẽs nullo
negotio expugnari, omne bellũ ciuile eſſe
mutuã lanienam & Cadmeã victoriam,
vbi pars vtraq́; infinitis calamitatibus
implicita

implicita pereat, vbi Martis tempestas omnes opprimat, vbi in vna Repub. tanquam vna in naui ſimul omnes naufragium faciant. Recordari poſſunt, turbam ſine legitimo capite eſſe corpus ſine ſpiritu, exercitum ceruorum ſine duce Leone, conſilia nefaria domeſticis tumultibus & diſsidijs Rempub. lacerantium, ipſis conſultoribus ceſsiſſe peſsimè. Nec Dathan, Core, Abiram contra Moyſen murmurantes, nec ſeditiosos contra Rufum, nec illos rebelles contra Richardum ſecundum, nec alios contra Edouardum quartum, nec iſtos contra Henricum ſeptimum, Henricum octauum, eiuſq́ filium Edouardum ſextum, nec noſtros nuperrimè cōtra Tuam Maieſtatem conſpirantes, impunè euaſiſſe. Didicerunt iam, niſi fallor, miſerum eſſe in Repub. ciues vt in arena gladiatores viuere: & ſeditionem tanquam

quam Cancrum ad totius corporis interitum repentina contagione permanare, concordes & constanti amoris vinculo colligatos tãquã fasciculũ ægrè, discordes tanquã virgulas singulas & solutas (vt Scylurus rex filios docuit) facilè diffringi, inuidiam inferiorũ ceu fumũ summa petere, & superiores arrodere, sed ad extremum paulatim euanescere. Intelligunt fideles ciues vel ex Solomone, Oculum qui patrem subsannat, & matris doctrinam contemnit coruos eruere, & Aquilæ pullos deuorare. Multò ergo magis, qui fidẽ Deo patri & Reipub. matri datam abiurant, qui Principem parentem patriæ concìdere & tollere conantur, eos non solùm in hanc oculorum effoßionem, sed in sempiterni dedecoris labem, & in æterni numinis offẽsionem incurrere. Hæc nouisse salus est subditis. Hanc pacem ô si Deus velit

 esse

esse perpetuam. O si Reginā faciat pacis quasi angelū & εἰρηνοποιὸν, vt tā hîc quàm alibi inter Christianos Christiana concordia Diuino imperio & verbo, ipsius ope & ministerio sanciatur.

3 Religio recta. GRATVLATIONIS vltima & maxima causa est pietatis studium & propagatio. In religionis cura & cultu omnis Regum dignitas, omnis salus subditorū, omnes priuatæ & publicæ cōmoditates vertuntur. Qui puræ religionis opibus septi & vallati non sunt, in quorū mente verus Dei timor non cōsedit, horū omnis vita curis, fides erroribus, conscientia terroribus perturbatur, horū animi dies ac noctes exhorrescūt, hi Satanæ terriculamētis quasi furiarū tædis ardētibus exagitātur. Quid verò ad Dei gloriā splēdidius, ad honoris Regij amplitudinē illustrius, ad publicā ciuiū incolumitatem vtilius esse potest, quàm

Religionis propagatio pertinet ad principes.

RE-

REGINAM *esse et dici seruã religionis, filiã Saræ, matrẽ Israëlis, ancillã Domini, nutricẽ Ecclesiæ? quàm religionẽ cõstituere, quã semina pietatis subditorum animis inserere, quàm superstitionis fibras omnes resecare? Religio viget? Florescit Respub. Religio friget? Regnũ euertitur: quisq; cœlesti itinere relicto, per anfractus et præcipitia nouas vias quæritat. Iobus ait, Ecce sola pietas est sapientia: & Solomõ, Artus & nerui, imò caput & initiũ sapiẽtiæ, timor Domini, nempe pietas: Et Antonius in Melissa, Sola pietas stabile ac firmũ bonũ est. Et ibidẽ, Tres pij in nomine Dei cõgregati multis Deũ negantibus antecellũt. Hoc perspexerũt Solomon, Ezechias, Asa, Iosaphat, Iosias & alij, qui tũ gratia apud suos & gloria apud omnes circũfluebãt, cùm exemplo Dauidis Deũ patrũ suorũ toto pectore quærerẽt. Hoc expertus est*

Theodor. lib. i.

Tom. ij. Act. i.

Constantius, Hoc agnoscunt Theodosius & Valentinianus in Concilio Chalced. cùm inquiunt, Constat omnibus nostræ Reipub. statum & omnia humana diuina pietate gubernari & firmari. Hoc sensit Pulcheria & virgo, & sub Theodosio fratre paruulo imperatrix, de cuius pia gubernatione Ecclesiastica historia sic prodidit, Mihi sanè videtur Deum ostendere, solam pietatem imperatoribus ad salutem sufficere, sine hac robur imperij, copias, opes, reliquum apparatum nihil valere. Quod Valeriani imperatoris auspicia læta, exitus infœlix demonstrant, cuius Domus & Aula primo Ecclesia fuit, post Ægyptiacorum Magorum insusurratione dementatus, Idololatria & Christianorũ persecutor factus, à Persis captus in turpissima senectute cõsenescẽs obijt. Huius religionis procuratio nõ tam plebeiorum angustas mẽtes

incessit,

inceſsit, quàm ad Principes alto & heroico ſpiritu prædito ſpectat, quorũ intereſt ſubditos religioſos præmijs, refractarios pœnis in hoc pietatis officio continere, vt diſciplina ſeruetur, virtus honoretur, licentia comprimatur. Pulchrè Antiſthenes, illam Rempub. ad interitum prolabi, vbi inter bonos & malos nullum diſcrimen ponitur. Itaq́ (ELIZABETHA Princeps) illud in laude vel maximè ponendum eſt, quòd & aliâs & nunc velut Vlyſſes in peragratione tua multorum mores videns & vrbes, ab ouibus lupos vlulatu vel actu, à Leone aſinum auriculis prominentibus potueris & volueris diſcernere, quãtumuis lupi multi, vt Ignatius ſcripſit, vellere aſſumpto, oues ſimulent, quantumuis aſinus Leonis exuuio aliquando ſe venditarit.

Quò autem hanc religionis curam ſu-

ſcipias alacriùs , & Dei noſtri cauſam animoſiùs propugnes, ecce (NOBILISSIMA REGINA) *vnà cum hoc Oxonienſi & leuidenſi munuſculo porrigimus in manus hunc gladium ſpiritus, hunc librum vitæ, hunc ſacrum veteris & noui Teſtamenti codicem, noſtrarum voluntatum ergà Maieſtatem tuam qualemcunq; indicem, & omnium de hac religione controuerſiarum iudicem, cuius veritas inuicta eſt, quam nec Pharaonis fornax aut lateres, nec Phalaridis taurus, nec Roboami ſcorpiones, nec Antiochi tormenta, nec vllæ hominum minæ aut manus , nec ipſæ inferorum portæ poterunt labefactare: quam qui oppugnare auſi ſunt, hos Dominus & minutis & miſellis vermiculis, pediculis , pulicibus , culicibus, locuſtis caſtigandos & cicurandos tradidit. Hic liber docet illũ ipſum Deum, qui Saulum*

Biblia.

ab

ab asinis ad Regnum, Dauidem ab ouibus ad sceptrum, Danielem è lacu leonum ad principatum euexit, qui Iaëlis fœminæ malleo Sisaram ducem, asini maxilla mille viros, aratri vomere Philistinos, Dauidis funda Goliathum interfecit, qui prō Debora stellis è cœlo pugnauit, adhuc in cœlo regnare, vt te (DEBORA CHRISTIANISSIMA) & Reges & Reginas omnes puritatem doctrinæ in hoc libro consignatæ asserentes protegat, vt quotidiè cornua Romanæ Bestiæ excindat, & hostes sibi tanquam scabellum pedum suorum subijciat, & per infirma organa altitudinem humanarum molitionum deijciat, sicut verißimè dicitur: Potentes potēter tormenta patiūtur, & fulmen petit culmē, & in macello vendūtur pinguißimæ victimæ.

victimæ. Hic liber nostræ Vniuersitatis insignia continet, septem sigillis communitus: quem Leo de tribu Iudæ & Agnus in throno sedens qui habet clauem Dauidis, solus aperire potest: & aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit. Forma non valdè elegans, vt voluimus & vt debuimus, sed vt in hoc tempore potuimus: materia intùs omni auro præstantior est, omni topazio omnibusq́ margaritis pretiosior. Sententiæ quæ adscribuntur, symbola sunt Academiæ, vna, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, *Altera,* Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? *Tertia,*

Bonitas regnabit,
Veritas liberabit,

Sicuti in libris Oxoniæ in vico sancti Iohannis quõdam impreßis vidimus. Hæc cum argumento nostro conueniunt: Hæc demùm

demùm huc tendunt, vt nos hūc librum tibi, tu commendes tuis, vt tuis auspicijs Angli tui ex hoc verbo magis ac magis confirmentur, hoc verbo Hiberni sylvestres edomentur, hoc verbo omnes à vera religione auersi conuertantur. Est enim verbi huius quàm ancipitis gladij acies penetrantior, ad animæ & spiritus, cōpagum & medullarum diuisionem pertingens. Hunc librum cum in Hybernicæ Ecclesiæ muro quodam Richardus Armachanus aliquandò occultasset, hoc insigne dictum scripsit, Cùm hic liber inuentus fuerit, veritas mundo manifestabitur, & Christus orbi apparebit. *Hoc verò Testamentum anno Domini.1530. repertum fuisse Chronica nostra testantur, & fœlicissimum huius prognostici euentum Ecclesiæ reformatæ facies vbique locorum euidentissimè declarat. Quod vt deinceps in singulos*

F. *dies*

dies fiat vberiore Christianorum fructu & fœtu, Deum Opt. Max. precamur.

Summa est, Maiestatem tuam rogamus & hortamur (SERENISSIMA REGINA) librum hunc tanquam Dei depositum in animo repone, serua vt te seruet, causam hanc religionis, vt facis, defende: sic fiet, vt in hoc studio veræ prudentiæ, Christianæ pacis, puræ religionis magis ac magis proficias: sic fiet, quod in versu dicitur,

Tandem bona causa triumphat.

Sic fiet, quod in symbolo Oxoniensi ponitur,

BONITAS REGNABIT,
VERITAS LIBERABIT:

Sic Deus erit Ecclesiæ nostræ quasi pupillæ oculi sui peruigil custos, sui Israëlis currus equitatus et propugnaculum, suæ Hierusalem murus cẽtuplex & igneus. Rogamus etiam quia opis nostræ nõ est

dare

dare aut meritis aut MAIESTATE TVA *digna, vt dantium voluntates, quæ ſunt optimæ, non facultates, quæ ſunt minimæ, reſpicias. Rogamus ad extremum Deum cœli ac terræ Monarcham, qui totum hunc tuum progreſſum fœlicem, & ex lōginquo itinere regreſſum in has oras noſtras fœliciorem eſſe voluit, idem egreſſum ex hac peregrinatione & vita tardum ſed fœliciſsimum concedat, vt viuas & regnes quandiu voles, voles quandiu poſſes, poſſes autem ad naturæ tuæ ſatietatem, ad corporis ſanitatem, ad animæ ſalutem, ad Reipub. ſecuritatem, ad Eccleſiæ vtilitatem, ad Diuini nominis gloriam.*

Amen.

ONVS SEV PROphetia Romæ.

L. H.



Roma superba licet, iudex vindexq; piorum,
At Christi Domini discito iudicium.
Dura licet, ferrum si sis, mollescito verbis:
Si lapis & saxum, frangere Roma tamen.
Audi Sodomæ Princeps, Gomorrhaq; tota,
Quisquis Romano de grege, quisquis eris:
Audi surda, & cæca tuas spectato ruinas,
Hoc lege, quòd pereas: aut sape, ne pereas.
1. Argument. Apostasia in fide. — Gens inimica Deo, Christo, verboq; piisq;,
Summi perrumpens septa verenda Dei,
Maior. — Gens idola colens, quæ viuo fonte relicto
Cisternas quærit pestiferosq; lacus.
Sentiet vltricem Diuini Numinis iram,
Hanc Deus excindet, non patet effugium.
Minor. — Roma, Deos multos fingis, noua dogmata cudis,
Et fines positos cælitus egrederis,
Roma, parùm castè supremum Numen adoras,
In cælo & terra tot tibi constituens.
Missa tibi Deus est, & Papa, & Diuus, & Icon,
Conclusio. — Relliquiæ, & cur non perfida Roma ruas?
Roma rues, quondam veræ pietatis asylum,
Musarum portus perfugiúmq; choro:
Roma vetus quondam multorum vecta per ora,
Quam celebri Paulus prædicat elogio:
Nunc scelerum sedes, nunc nunc erroris & antrũ,
Degener ah nimium Roma scelesta rues.
Roma rues, virgo quondam, purissima virgo,

Cuius

Cuius casta fides, integra relligio,
Intemerata thoro, thalamus non cognita multis,
Vni sed sponso sponsa dicata Deo:
Impia nunc Christo Domino diuortia scribens,
Ac effrons meretrix, perfida Roma, rues.
Roma rues, mundi lux olim, stellaq; terrae:
Nunc tenebrae, ac alto stella caduca polo.
Cuius ad astra decus quondam sublime volabat,
Corruit, ac terrae est Tartarus Italia.
Roma caput mundi, iam toto vertice calua,
Capta tuis membris Roma misella rues.
Ille cruore perit, qui fundit, Roma, cruorem: 2. Carnificina Sanctorum.
Sanguine qui gaudet, sanguinolentus obit. Maior.
Vt lupus agnellum sequitur, Cainus Abelum,
Vt Iacobum Esau, legitimosq; nothi:
Sanguine tu fundata, pio nunc sanguine crescis: Minor.
Ergo concludam, Roma cruenta rues. Conclusio.
Roma tumes, quondam victrici turgida lauro, 3. Fastus.
Antiquis spolijs foeta feraxq; tuis: Minor.
Inq; deauratis circumgestata quadrigis,
Et satrapis mundi principibusq; praes.
Calcandus fastus, frangenda superbia: cedrus Maior.
Alta ruit, sic tu Roma superba rues.
Roma rues, mercesq; tuae, thesaurus & ingens: Conclusio.
Gemmas & coccum, thuraq; nullus emet.
Et peris & perdes, occîdis & occidis ipsa,
Idq; malo merito vipera saeua tuo.
Roma rues, regnumq; tuum: vanescet & aurum,
Nomen, apex, sceptrum, fulmina, mitra, thronus.
Gens se prostituens, facibusq; libidinis ardens Maior.
Sancto sanctorum non placet, illa ruet.
Roma dies clara est: tua iam spelunca retecta est, Minor.
Occulti coitus, frausq; Venusq; patent.
Roma tuas labes & foedas aspice sordes: 4. Cupido & Venus.
Vitaq; nota alijs sit quoq; nota tibi.

Lux Euangelij turpissima lustra reuelat,
Ostenditq́ tui facta nefanda gregis.
Illa tuam nouit Camarinam, notaq́ fœtet,
Pandoræ Latiæ pyxis aperta volat.
Illa tuos cæcos vidit, proditq́ recessus,
Furtiuos retegit, Roma petulca, thoros.
Aulam lustrauit, rimas perspexit & omnes,
Ingreditur lectos, concubitusq́ tuos.
Secretum nihil est, tenebrosa cubilia pandit:
Nox nihil inuoluet, nulla latebra teget.

Conclusio.

Ah cur Roma rues? prudensq́ vidensq́ peribis?
Ah cur sponte tibi tu paris exitium?

Exhortatio ad resipiscentiam.

Ergo Roma redi, veteres ah desere amores,
Impia, crudelis, fœda, superba redi.
Nunc vocat & reuocat pansis Deus optimus alis,
Sanctam flens vrbem te cupit esse suam.
Roma quidem ῥώμη dicta est, sed nomine verso,
Dici Roma potest improbitatis amor.
Ah pigeat, pudeat: mores cum nomine muta:
Roma veni, ad Dominum vertere, Roma veni.
Si nil frontis habet meretrix, si stercora nolis
Scire sciens: coger dicere, Roma rues.

FINIS.